Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus theol. de actibus humanis - Cod. Ettenheim-Münster 302

[S.l.], 1697

Quaestio 7tima

urn:nbn:de:bsz:31-131009

Visual Library

Arguitur 4to. quod non propter se, sed propter aliud appetitur, habet rationem medii; sed bonitas in quo ratione formali consistit electio, non appetitur propter se, sed propter aliud, videlicet finem extrinsecum, ergo: atque actus moralis non desumit honestatem a medio sed a fine. Respondeo cum Tanero negando subsumptum; ad majorem subsumpti dico, voculam illam propter se postulare solum, ut affectus operantis feratur in ipsam honestatem medii propter se, sed non ultimate, ut nimirum in nullum alium finem feratur: sufficit ergo ut objectum propter se ipsum, et non tantum propter alium finem appetatur, tametsi in ulteriorem finem referri possit; neque enim finis ultimus, aut quivis superior excludit alios fines inter medios. Quaeritur ergo utrum actus externus suam bonitatem aut malitiam moralem ab interno accipiat.

Quaestio 7tima.

Utrum actus exterior suam bonitatem aut malitiam moralem ab interno accipiat.

Conclusio est: nulla formalis bonitas convenit actui externo, quae sit propria, non conveniat alii actui voluntatis elicito, ac proinde actus externus nihil in ratione ac per se, sed tantum extrinsece et dependenter ab actu interno bonitatem seu honestatem aut malitiam formalem sortitur, nimirum actus externus, ex eo quod sit quasi effectus ab interno promanans, et ab eodem morali informatus, a quo sortitur extrinsecam denominationem dicitur bonus aut malus. S. Tho. hic. etc.

Probatur 1mo. Matthaei 15: ex corde exeunt cogitationes pravae, adulteria, homicidia. Ubi nomine cordis pravus affectus quivis sive intentionis sive electionis, a quo procedit opus pravum, adeoque ibi Christus indicare voluit, ab interno affectu transfundi moralem bonitatem aut malitiam in opus externum. Probatur 2do ratione. Actus exterior eatenus laude et vituperio dignus est, quatenus est origine sua cum interiore, sive quatenus formaliter ab eo informatus; ergo et moraliter eatenus bonus sive honestus, aut turpis est.

Arguitur 1mo: Illud est primario pravum, quod primario prohibetur a lege, atqui externum pravum opus primario prohibetur a lege decalogi v.g. non furtum facies, non falsum testimonium dices; ergo actus externus primario est malus, et primario in ratione est bonus: non prior est ratio. Resp. actum externum non prohiberi, nisi quia informatur malitia actus interioris; adeoque utrumque prohibetur sl.

Instabis: saltem aliquis est primario malus primario prohibetur lege humana, siquidem nulla lex humana vetat actus internos.

Resp. neque etiam humanam legem prohibere ullum opus externum, nisi prout stat in ordine ad actum internum, quo cum facit unum compositum quoddam morale, in quo potiorem locum habet forma, cuius vicem subit malitia actus interni, quam materia, quod convenit in actu externo.

Arguitur 2do. S. Thomas in multis locis docet, bonitatem et malitiam, quam externus actus desumit ab obiecto aut circumstantiis, non derivari in ipsum ab intentione finis, sed potius e contra ab actu ipso externo derivari in intentionem finis, quod intentio utique actus internus est: ergo iuxta S. Thomam aliquando saltem actus externus non habet bonitatem dependenter ab interno. Resp. D. S. Thomam ibi loqui de tali actu externo, qui ut medium assumitur ad aliquem finem operantis, utilemque quippe sit habeat honestatem propriam aut turpitudinem aut honestate a turpitudine illius finis diversam. Qui intendit v.g. adulterium committere, et ad hunc finem eligit furtum, actus externus furti, ut sit tale opus, tum in genere furti, non accipit ab intentione adulterandi, sed potius intentio haec accipit novam malitiam a gravo medio tum a circumstantia. Eodem modo furtum externum specialem malitiam accipit ab interna electione, sicut et qui furatur, ut det eleemosynam, tum abest, ut furtum trahat aliquam honestatem ab intentione dandi eleemosynam, ut potius eam intentionem sua malitia inficiat. Quid ergo? utrumque sit eadem bonitas et malitia interioris et exterioris actus.